



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 7. Quam vim in monstra habeat materia, vis formatrix, &c?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

altera maxillarum atq; labra oris, in im-
mensum turgescabant; luna autem lumen
amittente, redibat clementior forma. At
quis tandem negabit, humores omnes cum
luna inualescere? Quod ergò sidus hoc ex
parte, & ad tempus certum fecit, vt pro-
moueret monstrositatem, cur non possent
etiam efficere reliquorum astrorum mali-
gni aspectus? Sicut enim nulla in cælo lu-
cet stella otiosè, ita neque stellarum con-
iunctio suo effectu carebit.

§. VII.

*Quam vim in monstra habeat materia, vis
formatrix, &c.*

Porro, sicut etiam quando animal gi-
gnitur, non tantùm solis aliorumque
astrorum influxus, aut regionis vel salu-
britas, vel inclementia id extrinsecus at-
tingunt; sed & alia concurrunt, vt virtus
formatrix, quæ semini inhæret; materia è
qua foetus coalescit; receptaculum item
foetus; & completio primarum qualita-
tum: ita & hæc nimis redundantia, aut de-
ficientia in caussa sunt, vt totum foetus
opificium nõ ad amussim exprimatur;
aut, vt mistis seminibus, Androgyni, seu
Hermaphroditi, itemque corporis figura
semi-

Vide Ari-
stot. lib.
4. de ge-
ner ani-
mal. c. 4.
Plutarch.
lib 5. de
placitis
Phil Ga-
lenum de
hist Phi-
lotophica
cap. 113.

semihomines, Panes, Siluani, semibestiae,
 Fauni, Satyrisci, & Hippocentauri, pro-
 deant; vel nascantur tanti, vt non solum
 quatuor pedes habeant, qualem quadru-
 pedem puerum Byzantij natum Platina re-
 fert, sed etiam vt dens vnus, *si in nostro-
 rum dentium modulos minutatim concidere-
 tur, centum nobis videretur facere potuisse,*
 vt è D. Augustino memorauimus; vel vt
 pede, sicut Sciopodes apud Solinum, aut
 digito, oculo, manuë carentes, qualem
 Aretij puerum natum scribit Linius, aut
 omnino nani pronascantur: vel vt, ob re-
 ceptaculi angustias, duo fetus in vnum co-
 arctentur & concrecant, vnde bicipites,
 aut tricorpores Geryones efformantur:
 vel deniq; vt ob nimium calorem in vtero
 fumum excrementitium eleuantem infan-
 tes barbati, aut, ob frigus, pueri canescen-
 tes inueniantur. Numquid autem Deus
 omnes homines formare debet pares, vt
 virtus quoq; seminaria in omnibus par, in
 nullo hebetior firmiorue pares effectus
 producat, neque partes vllas confusas aut
 inexplitas relinquat? Numquid non ipsi
 saepe homines materiam fetus aut per im-
 becillitatem subducunt, aut multiplicant
 per

Platina
 in Sabini-
 ano l.
 Papa.

S. Augu-
 stin. l. 15.
 de ciuit.
 c. 9. So-
 lin. c. 53.
 Liu. dec.
 4 l. 5. Vi-
 de S. Au-
 gust. l. 16.
 ciuit. c. 8.
 Oforium
 l. 5. hist.
 c. 6.

Plin. l. 7.
 c. 2.

per abundantiam, aut motu cursuq; confundunt? Nuncquid alius hoc, alius alio est modo affectus, ut vel nimia aridus sit siccitate, vel nimia inconstans humiditate? Et quid homines Deum accusant, quando plerumque ipsi præcipua sunt causa monstrosæ prolis? Nam improba vitæ intemperantia non rarò tales fructus parit. Quædam proles quatuor aures habuit. Quid mirum? habuit & quatuor parentes. Nonnullæ mulieres Pasiphaën imitatæ sunt, quid noui, si Minotaurū genuerunt? Quædam non ita pridem porcum peperit; sed fertur ipsa se scrofam fecisse, quid igitur aliud peperisset? Quamquam etiam sine delicto fieri talia possunt, sola materia peccante. Natus est, meo tempore, Augustæ, pullus gallinæ, qui ob mirabilitatem in æs incisus circumferèbatur. Corpus illi erat vnum, capita, colla, vropigia duo: Alæ quatuor; totidem pedes. Hic, cum vnius capitis rostello satis granorum edisset, corpus scitissimè versabat, ut & altero se satiaret. Ita vices alternabant edendi. Deprehensum est autem pullum illum esse ab ea gallina, quæ semper oua cum

N gemino

gemino vitello pariebat. Vitelli igitur geminatio, & foetus duplicavit.

§. VIII.

Imaginationem multa posse in hominum formas, varijs exemplis ostenditur.

Habet & curiositas, & vis imaginandi parentum tales fructus, quæ absurdas peregrinasque, quas mente voluit, formas foetus imprimit. Hinc maculae ex utero matris agnae; hinc auidè desideratorum fructuum effigies partibus adhaerescunt. Si cetera exempla deessent, abundè id patefecisset Iacob, in grege maculoso, per virgas variatas, & non variatas procurando. Quem imitantur, qui equas diversicoloribus tegumentis insternunt, cum equi admittuntur. Plerumque enim progenies in eiusmodi colores degenerat, cuiuscemodi progignentium vel imaginatio apprehendit, vel oculi etiam intuentur. Sed & Avicenna refert, gallinam, quæ dum ovis incubaret, milui aspectu perterrita fuit, pullos miluino capite exclusisse. Plinij verba sunt: *Similitudinum quidem in mente reputatio est: in qua credantur multa fortuita pollere, visus, auditus, memoriaque. Hausta imagines sub ipso conceptu, cogitatio*

Auicenn.
lib. 5 de
animal.
Lege Galenū lib.
de Theriaca c. 14.
Plin. l. 7.
cap. 12.